

nesi Homil. 20. & alibi sæpè. August. l. 2. de visitatione infirm. c. 4. & pulcherrimè c. 5. Ergo, inquit, quæ mentem gravius exacerbant facinora, Sacerdoti manifesta nihil obscurum dicens, culpam nullis ambagibus involvens, nullis circumitionibus, quod verum est aperiens. Designanda etiam sunt, in quibus peccasti, loca, si recordaris, & tempora.

Quam confessionem particularem etiam Consilia multa confirmant, *Laodicenum can. 2.* ante annos 1100. *Synodus 6.* ante an. 900. *can. 102.* *Carthaginense 3.* *can. 31.* ante annos 1100. *Cabilonense 1.* *can. 8.* ante an. 1000. *Cabilonense 2.* *can. 32.* ante ann. 800. *Turonense can. 22.* circa idem tempus. *Moguntinum sub Rabano capit. 26.* *Vormatiense ante annos 868.* *cap. 25.* *Lateranense 4.* *c. 21.* *Constantiense sess. 8.* *Florentinum in instruction. Armen. Tridentinum sess. 14.* *can. 6.*

Ut omittam in numeros alios Patres, atque Concilia, quæ modernam doctrinam Catholicam, primitivam & apostolicam fuisse, testantur: à qua cum Lutherani dissentiant, manifestum est, illas ab apostolica doctrina dissentire, & consequenter in apostolica Ecclesia non esse.